



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**


Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

Vindalium, 1646

Cap. II. De Iustitia propriè dicta secundum se spectata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38850



CAPVT II.

*De iustitia propriè dictâ secundum
se spectatâ.*

SECTIO I.

Quid sit.

CONCLUSIO VNICA.

Iustitia definiri solet ex Iurisperitis, Perpetua & constans voluntatis ius suum unicuique tribuendi.) Ita omnes cum sancto Thom. 2. 2. quæst. 58. art. 1. Ut autem hanc definitionem melius percipias, Nota 1. iustitiam hic à nobis non sumi pro gratia habituali, qua quis denominatur iustus, aut pro concentu omniũ virtutũ, qui interdum iustitia appellatur, sed pro speciali virtute morali existente in voluntate, sicut in proximo subiecto, per quam homo ordinatur ad alterum, unicuique quod suum est reddendo. Vnde distinguitur à fortitudine, & temperantia, quia hæ perficiunt hominem in ordine ad seipsum, iustitia verò in

6 TRACTATUS

ordine ad alterum. Distinguitur etiam ab amicitia, pietate, liberalitate, obedientia, aliisque virtutibus quæ etfi quodammodo sint ad alterum, non tamen reddendo illi ius suum, eo modo quo iustitia illud reddit, vt iam dicemus. Vnde cum à perfecta ratione iustitiæ deficiant, dicuntur virtutes iustitiæ annexæ, seu partes illius potentiales, propter quandam affinitatem & connexionem quam cum illa habent, ratione obiecti.

Nota 2. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 80. art. vnico. dupliciter aliquam virtutem ad alterum existentem, à ratione iustitiæ deficere. 1. in quantum deficit à ratione æqualis, quomodo religio erga Deum, pietas erga parentes, & obseruantia erga virtute præcellentes, (ad quam reducitur obedientia ex respons. ad 3.) deficiunt à perfecta ratione iustitiæ, cum æquale reddere non possint. 2. in quantum deficit à ratione debiti, quomodo reliquæ virtutes ad alterum se habentes à ratione iustitiæ deficiunt, siquidem iustitia respicit debitum legale, seu ad quod reddendum aliquis lege astringitur; illæ vero virtutes debitum tantum morale respiciunt, seu quod ex virtutis honestate debetur; siue tale debitum adeò sit necessarium, vt sine eo morum honestas

DE IUSTITIA. CAP. II. 7

conseruari non possit, quale est debitum quod attendunt veritas, gratitudo, & vindicatio; siue sit tantum necessarium secundum quid, ad conseruandam morum honestatem: qua ratione liberalitas, affabilitas, seu amicitia, aliaque huiusmodi debitum morale respiciunt.

Nota 3. ius seu debitum legale esse duplex, aliud simpliciter, aliud secundum quid, Ius simpliciter, quod etiam politicum appellari solet, tres exigit conditiones. 1. vt simpliciter sit debitum. 2. vt constituat æqualitatem simpliciter. 3. vt simpliciter ad alterum quod saltem quoad voluntatem, & iurium seu dominiorum distinctionem alterum sit. Ius verò legale secundum quid, est illud, in quo aliqua ex duabus postremis conditionibus deficit, nempe perfecta æqualitas, vel alteritas. Vnde inter dominum, & seruum; inter patrem, & filium; inter virum, & vxorem, quatenus concipiuntur vt sunt quid vnum, non est iustitia simpliciter, quia proprium obiectum non est iustum simpliciter; sed tantum iustitia secundum quid, quæ scilicet tendit ad seruandum ius secundum quid. Dixi, quatenus concipiuntur vt sunt quid vnum: nam si concipiuntur vt homines, distincta iura habentes, nil vetat quin vera iustitia inter

3 TRACTATUS

illos exerceri possit.

Porro non ideò ius quod est inter patrem, & filium, &c dicitur secundum quid, quia est minùs perfectum; constat enim ius paternum & filiale esse naturaliter magis debitum, adeòque magis perfectum, quàm ius politicum, quod inter æquales versatur: dicitur ergo secundum quid, quia nò nisi improprie est tale. quale est ius politicum; seu quia nò versatur inter personas omnino inter se distinctas, neque perfectam adæquationem habere potest.

Nota 4. ius illud seu opus iustum, quod ut à iustitia attendatur, diximus debere esse alteri debitum, & æquale, supponere in alio ius exigendi, & respectu talis iuris dici debitum, & æquale; ideò enim tibi debeo decem nummos, quia in te est ius eos à me repetendi. Et rursus, ideò opus illud soluendi talem summam, dicitur, æquale, quia commensuratur iuri quod habes eam exigendi à me: cum ius illud non sit in te, nisi ad decem nummos ut suppono. Vnde cum iustitia dicitur reddere cuique quod suum est, duobus verbis indicantur, 1. iustitiæ munus esse, constituere æqualitatem. 2. æqualitatem illam non esse semper rei ad rem; cum non sufficiat ad iustitiam, extente

DE IVSTITIA. CAP. II. 9

re invito domino accepta, velle ei reddere omnino æqualem: imò econtra vera fit iustitia, si cum nequeas totum debitum reddere, restituas quantum potes. Sed eam sumi per ordinem ad ius alterius, ita scilicet vt opus exhibitum commensuretur cum iure, quod alius habet hic & nunc exigendi; qua ratione reddens quod potest, etsi non possit totum quod debet, censetur exercere actum iustitiæ; quia creditor non habet ius, maiorem summam tunc exigendi.

Nota 5. hinc posse intelligi, quo sensu iustitia communiter dicatur habere medium rei; aliæ verò virtutes morales medium rationis. Sensus enim est, proprium esse iustitiæ, tantum reddere quantum debetur, sine vlllo ordine ad ipsam operantem: quia siue sit sanus, siue æger, &c. debet constituere æqualitatem inter opus exhibitum, & ius alterius. At verò medium quod attenditur à virtutibus alijs moralibus, quæ circa passiones versantur, non ita ex natura rei determinatum est, sed iuxta regulas prudentiæ potest variari, per ordinem ad operantem, variasque circumstantias illius. Vnde cum longè diuersæ sint hominum complexiones, certissimum est, non posse vnum & idem medium rei, in materia temperan-

10 TRACTATUS

tiæ, & fortitudinis pro omnibus constitui, sed singulis illud assignandum esse, quod iuxta rationem rectam cuiusque dispositioni, & viribus magis congruit.

Nota 6. ex his etiam posse colligi, cum iustitia per se hominem ordinet ad alterum, eam proprie non versari circa passiones, sed tantum circa res, & affectiones externas, per quas homo ordinatur ad alterum, seu quibus homines inter se communicare possunt, aliquid sibi tribuendo, vel subtrahendo. Ita tamen ut res ipsæ sint materia remota iustitiæ, actiones verò materia illius proxima. Verum hoc non impedit, quin iustitia versetur per accidens circa passiones, quatenus interuentu aliarum virtutum eas moderatur, ne earum impulsu aliquid contra æqualitatem fiat. Quò fit ut iustitia per se cohibeat adulterium, quatenus cum æquitate pugnat; ut autè ab immoderata concupiscentia oritur, per téperatiam.

Nota denique, ex dictis colligi etiam posse 1. obiectum materiale iustitiæ, ut est virtus particularis, aliud nihil esse quàm, opus externum iustum, quod secundum æqualitatem superius explicatam alteri debitum est: obiectum verò illius formale esse idè opus, quatenus eodem modo debitum est. Iustitia enim proximè

DE IUSTITIA. CAP. II. II
intendit reddere unicuique quod suum
est, & ex motu honestatis quæ in tali
redditione reperitur, suos actus elicit.
2. Si fiat comparatio inter opus iustum,
& ius illud morale, cuius intuitu de-
bitum est, seu personam eo iure præditam;
non incongruè dici posse, illud quidem
opus quod à iustitia intenditur, & exte-
riùs exhibetur esse obiectum quod; per-
sonam verò quæ tale ius habet, esse obie-
ctum cui, quatenus vi juris illius, opus
iustum & æquale ei debitum est.

SECTIO II.

Quomodo Iustitia diuidatur.

CONCLUSIO I.

Iustitia particularis vulgò diuiditur in
distributiuam, & commutatiuam.) De
hac diuisione agit S. Thomas 2. 2. quæst.
61. per quatuor articulos, quorum 1.
concludit, diuisionem illam esse conue-
nientem; quia priuata persona, ad quam
iustitia particularis ordinatur, compara-
tur ad communitatem, sicut pars ad to-
tum. Potest autem ad aliquam partem
duplex ordo attendi, vnus quidem partis

ad partem, cui similis est ordo vnus personæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit iustitia commutatiua, quæ consistit in his quæ mutuò fiunt, à duabus personis ad inuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes, & huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune, ad singulas personas; quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiua, cuius proprium est distribuere bona communia, secundum proportionalitatem. Et ideo duæ sunt iustitiæ species, scilicet commutatiua, & distributiua.

Quædam autem notanda sunt ex responsionibus de argumenta 1. quando aliquid ex bonis communibus in singulos distribuitur, quemlibet recipere quod suum est; quia sicut pars, & totum quodammodo idem sunt, ita id quod est totius, quodammodo est partis. 2. etsi actus distributionis bonorum communium sit tantum in eo, qui bonis communibus præest iustitiam tamen distributiua esse etiam in subditis; in quantum scilicet iustam distributionem approbant, eaque contenti sunt. 3. iustitiam distributiua, & commutatiua distingui specie, quia non tantum distinguuntur secundum vnum, & multa, sed etiam secundum diuersam rationem debiti: alio enim modo debetur

DE IVSTITIA. CAP. II. 23
alicui, id quod est commune, & alio
modo id quod est proprium. Quæ ratio
melius ex sequentibus intelligi pote-
rit.

Artic. 2. docet 1. medium in iustitia
distributiva sumitur secundum geome-
tricam proportionem: nam in tali iusti-
tia datur aliquid personæ privatæ, in
quantum bonum totius est debitum parti;
quod quidem tanto maius est; quanto
ipsa pars, maiorem habet principalita-
tem in toto. Et ideò in iustitia distribu-
tiva, tanto plus alicui de bonis commu-
nibus datur, quanto illa persona maio-
rem habet principalitatem in communi-
tate: adeòque ibi non attenditur medium,
secundum æqualitatem rei ad rem, sed
secundum proportionem rerum ad per-
sonas: ut scilicet sicut vna persona exce-
dit aliam, ita etiam res, quæ datur vni
personæ, excedat rem quæ datur alij. Do-
cet 2. in cõmutationibus attendi mediũ,
secundum proportionem arithmeticam:
redditur enim aliquid alicui singulari
personæ; propter rem eius quæ accepta
est, ut maximè patet in emptione & ven-
ditione, in quibus ratio commutationis
primò inuenitur. Et ideo oportet adæ-
quare rem rei, ut quanto iste plus habet
quam suum sit, de eo quod est alterius;

tandumdem restituat ei cuius est.

Nota ex respons. ad 3. in actionibus & passionibus conditionem personæ facere ad quantitatem rei; maior enim est iniuria, si percutiatur princeps, quàm si percutiatur priuata persona. Et ideò conditionem personæ in iustitia distributiua attendi secundum se, in commutatiua autem per accidens, quatenus per illam diuersificatur res, seu iniuria compensanda.

Art. 3. docet 1. iustitiam distributiua, & commutatiua non distingui ex parte materiæ remotæ; quia eadem res quæ possunt distribui, vt pecuniæ, honores, &c. in commutationem venire possunt. 2. eas distingui quoad materiam proximam, quæ in externis earum operationibus consistit: siquidem iustitia distributiua habet pro materia proxima, distributiones bonorum, & onerum communium; commutatiua verò commutationes, & compensationes rerum, quæ humanis vsibus sunt accommodatæ; 3. huiusmodi commutationes esse duplices, alias vtrique voluntarias, nempe tam ex parte eius qui accipit, quàm ex parte eius à quo accipitur, eiusmodi sunt emptio & venditio, vsusfructus, cōmodatum, mutuum, locatio, & conductio, depositum.

DE IUSTITIA. CAP. II. 19
impignoratio & fide iussio : quibus addi
possunt alij contractus , de quibus infra.
Aliàs partim involuntarias , nempe ex
parte eius à quo aliquid accipitur , inter
quas numerantur furtum, rapina, dolosa
accisio, veneficium, percussio fraudulen-
ta, violenta sedes, incarcerationio, verbera-
tio, mutilatio , falsum testimonium, de-
tractio, falsa accusatio, conuitium, adul-
terium seductio seruorum, alique modi
quibus proximus lædi potest. Quanquam
dici potest plerasque existis commutatio-
nibus, quæ comprehendunt delicta, qui-
bus infertur damnum proximo , vel fit
illi iniuria , esse involuntarias ex parte
eius qui accipit, quales sunt percussio, fla-
gellatio , & similes: qui enim percutitur,
aut flagellatur , aliquid contra volunta-
tem suam accipit.

Nota, illud esse discrimen inter com-
mutationes iam dictas, quòd iustitia mo-
uet ad priores tanquam ad proprias ope-
rationes , quia sunt iustæ; non autem ad
posteriores, eò quòd iniustæ sunt. Quare
cùm dicimus eiusmodi commutationes
esse materiam proximam iustitiæ com-
mutatiuæ sensus est, iustitiam circa illas
versari, vt eas corrigat ; & ad æqualita-
tem per debitam compensationem redu-
cat.

Articulo 4. docet 1. in iustitia distributiva iustum ex contrapasso non constitui, quia ibi non exigitur, vt pars communitalis tantum conferat, quantum illi tribuitur. 2. idem plerumque contingere in iustitia commutativa, quia contrapassum dicitur, quando aliquis tale quid patitur, quale alterum pati coegit. At in hoc non semper est æqualitas, requisita ad iustitiam commutativam, vt patet si plebeius qui percussit principem, tantum repercuteretur: aut si ab eo qui alienum abstulit invito domino, tantumdem solum auferretur: tunc enim maior esset actio, quàm passio, quia non iniuria, sed damnum dumtaxat compensaretur. 3. per accidens tamen in iustitia commutativa, iustum ex contrapasso posse constitui: nempe quando iuxta moralem æstimationem, ponitur æqualitas inter passionem, & actionem. vt si quis iuxta legem statutam Exodi 22. quinque boues pro vno boue restituat, & quatuor oues pro vna oue.

CONCLUSIO II. Inter species iustitiæ numerari etiam solet iustitia legalis.) Ratio colligi potest ex præcedentibus: nam in communitate triplex habitudo intelligi potest, quarum prima est, totius ad partem: secunda, partis ad

DE IUSTITIA. CAP. II. 17

totum : & tertio partis ad partem : sicut
 autem iustitia distributiua ordinat totum
 ad partem , & commutatiua partem ad
 partem , ita merito requiritur quaedam
 species iustitiæ , quæ ordinet partem ad
 totum. Atque id muneris tribuitur iu-
 stitiæ quæ vulgo legalis seu generalis ap-
 pellatur.

Quæres 1. an iustitia legalis sit quo-
 ad essentiam virtus specialis. Respondeo
 affirmatiuè, ex S. Thoma 2. 2. quæst. 58.
 art. 6. vbi ait, quod sicut charitas quæ
 respicit bonum diuinum, vt proprium ob-
 iectum, est quaedam specialis virtus se-
 cundum suam essentiam : ita etiam iusti-
 tia legalis est quaedam specialis virtus
 secundum suam essentiam , secundum
 quod respicit commune bonum, vt pro-
 prium obiectum. Quibus verbis tradit
 rationem nostræ responsionis, quia scili-
 cet ea est virtus specialis, quæ habet
 proprium & speciale obiectum: at iustitia
 legalis habet eiusmodi obiectum, nempe
 bonum commune, vt sic, in hoc enim spe-
 ctatur specialis honestas, ad quam habi-
 tus virtutis terminari potest. Ergo est spe-
 cialis virtus. Confirmatur : nam est quæ-
 dam correlatio inter iustitiam distribu-
 tiuam , & legalem , quatenus per illam

bona communia distribuuntur particularibus, & per istam particulares sua bona referunt ad communitatem: constat autem ex communi sententia, iustitiam distributivam esse virtutem specialem, ergo idem à pari de iustitia legali dicendum est.

Dices: nonne omnes aliae virtutes particulares, per proprios actus respiciunt bonum commune; Ergo non oportet ponere iustitiam legalem, tanquam habitum ab iis distinctum. Respondeo virtutes particulares respicere bona particularia adeoque præter illas ponendam esse virtutem quandam veluti generalem, quæ ad bonum commune attendat: ideo bonum commune, & bonum priuatum possunt constituere diuersa obiecta formalia, propter diuersas honestates, & difficultates quæ in iis reperiuntur.

Quæres 2. quomodo iustitia legalis se habeat ad pietatem, obedientiam, & iustitiam particularem seu strictè sumptâ, cum quibus magnam consonantiam habere videtur. Respondeo 1. eam distinguere à pietate, ut colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 101. artic. 3. ad 3. ubi ait, pietatem se extendere ad patriam, secundum quod est nobis quoddam essendi principium, iustitiam verò legalem ref-

DE IUSTITIA. CAP. II. 19

picere bonum patriæ, quatenus est bonum commune.

Respondeo 2. eam etiam distingui ab obedientia, ut hæc est virtus specialis; siquidem obediētia sic spectata fertur in res præcepto vetitas, aut imperatas, quatenus sunt vetitæ, aut imperatæ. Iustitia verò legalis respicit bonum communitalis, ut sic, siue aliquo præcepto imperatum sit, siue non.

Respondeo 3. ex communiore sententia, iustitiam legalem esse speciem quandam iustitiæ strictè sumptæ, quod probatur, tum quia cum iustitia distributiva inter species iustitiæ rigorosæ numerari soleat, non apparet cur iustitia legalis non etiam inter illas sit recensenda; tum quia in iustitia legali reperiuntur conditiones necessariae, & sufficientes ad iustitiam propriè dictam, nempe debitum, æquitas, & æqualitas. Ciues enim ut partes Reipublicæ, cuius commodis fruuntur, tenentur bonum illius promovere, & defendere, suntque singuli sufficienter à communitate distincti quoad iura, & dominia cuique propria. Ac denique possunt suis operationibus totum illud ius adæquare, quod communitas in illos habet.

Quæres 3. an iustitia sit legalis species

distincta, à duabus illis vulgaribus iustitiæ speciebus, distributiua nempe & commutatiua. Respondeo 1. non distinguui ab utraque, quia cum non possit seruari æqualitas, quam iustitia respicit, nisi aut secundum proportionem geometricam, aut secundum arithmeticam; neque etiam dari potest, nisi duplex iustitiæ species, nempe distributiua, quæ priorem proportionem, & commutatiua, quæ posteriorem seruare intendit. Quare aut iustitia legalis non est propria iustitia, aut ad alteram ex dictis speciebus reduci debet.

Respondeo 2. iustitiam legalem reducendam esse ad speciem iustitiæ commutatiuæ, siquidem per illam constituitur æqualitas arithmetica, inter officia quæ ciues ob bonum commune exhibere debent, & ius quod habet communitas tale quid ab iis exigendi: huiusmodi autem adæquatio ad iustitiam commutatiuam pertinet.

SECTIO III.

An vindicatiua sit vera species Iustitiæ.

CONCLUSIO VNICA.

Iustitia etiam vindicatiua est vera species iustitiæ, non tamen à commutatiua distincta.) Prior pars probatur, quia illa est vera iustitia, cuius proprius actus externus est adæquatus iuri alterius, ei-que debitus ex supradictis; atqui actus proprius externus iustitiæ vindicatiuæ est huiusmodi; licet enim vindicatio non sit debita; ei qui punitur, quippe qui non habet ius aliquod in ultorem, ut ab eo puniatur; quia aliàs iniuria illi fieret, si ei pœna condonaretur; est tamen debita Reipublicæ, à qua iudex potestatem accipit scelera viciscendis; & parti læsæ, cuius nomine tenetur pœnam condignam peccanti imponere, per quam damnum, vel iniuria illata perfectè resarciatur. Ergo nihil deest iustitiæ vindicatiuæ, ut sit vera & propria species iustitiæ.

Quod enim dicunt aliqui, pœnam pro iniuria impositam, non resarcire damnum illatum personæ offensæ, eò quòd sem-

per integrum perseverat; aperte falsum est, quia iuxta moralem ætimationem, damnum illud, per mulctam pecuniariam, aliamque satisfactionem æquivalentem sufficienter compensari potest; ita ut læsus tandem recipere censeatur, quantum ei ablatum fuit. Hinc.

Posterior pars suadetur, quia illa iustitia est commutativa, quæ servat æqualitatem rei ad rem, modo superius explicato; atqui iustitia vindicativa eam servat, cum pœnam statuatur respondentem quantitati delicti. Quare ad iustitiam commutativam reduci debet. Atque hanc esse sententiam S. Doctoris patet ex 2. 2. quæst. 61. art. 4. in corpore, ubi ex Aristotele ait, contrapassum quo quis tanta pœna plectitur, quanta fuit culpa illius, esse iustum commutativum. Et consequenter in resp. ad 1. ait, formam diuini iudicij attendi, secundum rationem commutativæ iustitiæ, prout scilicet recompensat seu adæquat præmia meritis, & supplicia peccatis.

Dices, in iustitia vindicativa non modo haberi rationem peccatorum, sed etiam personarum: qui enim Regem offendit, maius supplicium meretur, quam qui plebeium; hoc autem est proprium iustitiæ distributiæ. Respondeo, idè


DE IUSTITIA. CAP. II. 23

in iustitia vindicativa haberi rationem personarum, quia eò gravius est peccatum, cæteris paribus, quo persona offensa est dignior. Vnde maiorem pœnam imponere pro peccato, in personam digniorem commisso, hoc munus est iustitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter pœnam, & culpam constituere debet, unde cunq; gravitas istius sumatur.

Quæres, an sit actus iustitiæ commutativæ, quòd læsus exigat à Iudice vindictam, pro iniuria illata. Respondeo affirmativè, vt colligitur ex S. Thoma quæst. citato art. 1. ad 3. vbi docet, iustitiam distributivam in subditis reperiri, quatenus acquiescunt distributioni bonorum communium, factæ per superiorem. Similiter enim dici potest, personam privatam exercere actum iustitiæ commutativæ, quando à Iudice vindictam iniuriæ commensam postulat, vt ita inter læsum, & lædentem æqualitas constituatur. Et ratio est, quia exercere actû virtutis, & velle vt quis eum exerceat, ad eandem honestatem pertinet. Quare cum persona publica exerceat iustitiam commutativam, quando imponit pœnam æqualem culpæ, vt dictum est; eiusdem virtutis actum censetur elicere privata persona, dum vltionem iniuriæ sibi illatæ

deposcit, ad resarciendam inæqualitatem quæ inter ipsam, & lædentem constituta est.

Neque refert, quòd per actum illum non reddat quis alteri ius suum; hinc enim tantum sequitur, eum non esse actum completum & perfectum iustitiæ. Quod tamen non impedit, quin vere quoad affectum ad iustitiam spectet: quia non modo alteri reddere quod suum est, sed etiam velle, ut quis illud reddat, eiusdem rationis & honestatis opus est. Quibus autem modis aliquis habeat ius in se, ita ut suam appellare possit, ex sequenti capite intelligetur.



CAPVT III.

De dominio ut spectat ad obiectum iustitiæ.

SECTIO I.

Quid sit.

CONCLUSIO VNICA.

Dominium definiri solet, ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lex obsistat.) Dicitur, i. ius, id est legitima facultas,